

CHEIRAGOGIA HELIANA

De

VRO PHILOSOPHI-
CO NEC DUM COGNITO.

Scribit Basilus Valentinus, ordinis Benedictini Monachus, qui proavorum memoria, ex superiore Alsatia oriundus, Philosophus in Chymia fuit princeps, in Curru suo triumphali Antimonii pag. 242. Vbi de lapide Ignis tractat, qui ex Mercurio Antimonii conficitur, in hanc sententiam: *Sed la- ignis (inquit) non tingit universaliter, sicut Lapis Philosophorum, qui ex Solis essentia paratur: Nequaquam. Etenim tantum concessum non est ad efficiendum sua virtute: Verum tingit particulariter, nempe Lunam in Solem, præter Stannum & plumbum: Martem & Venerem equidem omittit, nisi quantum hac in parte per præparationem inde elici potest. Item: Hæc tinctura (inquit) una sui parte non supra quinque partes transmutare potest, quod fixum maneat in Saturno & Antimonio ipso, in Quartatione, & Adurentiis: Cum contra verus ille ac per vetus Magnus Philosophorum Lapis immensum quantum efficere queat. Consimiliter in augmentatione sui Lapis Ignis amplius exaltari nequit: Sed tamen aurum ipsum (inquit) purum est & fixum. Sic paulò post pag. 244. Animadvertendum porro Lectori est (addit) non unius generis reperiri lapides, qui particulariter tingunt. Omnes enim pulveres fixos, qui tingunt, appello lapides: sed unus subinde altero tingit efficacius atque purius: qualis est primò Lapis Philosophorum, qui omnium primas continet. Hunc sequitur tinctura Solis & Lunæ ad rubrum & ad album: quam excipit tinctura Virioli & Veneris, itemq; tinctura Martis & Mercurij, quarum utraq; tincturam Solis etiam in sese habet, si modò ad fixationem perseverantem prius deducta fuerit. Hanc insequitur tinctura Iovis & Saturni ad coagulandum Mercurium. Deniq; ipsa est tinctura ipsius Mercurij. Hæc est igitur differentia (inquit Basilus) & multiplicitas Lapidum & tincturarum: Omnes tamen (addit) ex uno semine, & ex una initiali matre generati sunt, unde verum UNIVERSALE consimiliter profluxit: Extra quæ nulla (inquit) præter tincturam metallicam reperiri potest, in omnibus, in quibus rebus, quomodo- cumq; vocentur. Alij lapides tam nobiles iuxta quam ignobiles, me-
nunc*